IN
O B I T U M
Illustrissimæ, Excellentissimæque Dominæ,
D^NÆ MARIÆ STUART
Comitissæ De *Arran*, &c.

SCande triumphales, victrix Libitina, quadrigas,
Ducitur in palmas, Regia Nympha, tuas.
Nympha *Caledoniæ* longe celeberrima terræ,
Et decus immeritum, tristis *Ierna*, tuum.
His, mors, exuviis nimium ditescis, & una
Hac trinæ gentis præda litata tibi est.
Scotia nam sobolem, magnum decus *Anglia* perdit,
Et Lyra spes Cantus irrita facta tui est.
Nempe tuo gaudet tristi modulamine Parca,
Nescia mœrori parcere Parca tuo.
Quæ poteras nuper lætas, hac sospite, voces
Reddere, jam mœstæ vox tibi rauca sonat:
Dum tibi lœta canis, lœtis fit dissona musa,
Fisse nec hæc sorti vult aliena tuæ.
Disce tuos luctus, semper lugubre canendo,
Disce, tuis fatis convenit ille sonus.
Sic tibi rumpantur Chordæ, dum rumpitur illi
Vita, tibi Cantus, dum perit illa, cadat.
Sed melius; tentes etiamnum læta sonare
Quam rapuit, prædam; mors tibi forte dabit.
Orpheus Euridicen Stygiis revocavit ab umbris,
Quam male perdiderat credulitate sua.
Hic tibi deceptus præbet documenta doloris,
Non fallere tuo, plectra moveto, sono.
Vana loquor; nulla mors exorabilis arte est,
Surdior est ipsis, quos necat, illa, viris.
Vos igitur trinæ, mœstissima turba, sorores
Dum licet, injustæ, justa parate, neci.
Scotia duc urnam, ferethrum ferat *Anglia* Nymphæ,
Tristis *Ierna*, tibi mœsta cupressus erit.
Scilicet, est aliquid complecti corpus inane,
Est aliquid, ferethro supposuisse manus.
Scotia, quæ fueras huic mater, & *Anglia* nutrix
Hoc illud fato nomen utrique perit.
Turpe tibi objicitur scelus hoc, *Hybernia*, nempe
Quod fueras natæ dira noverca tuæ.
Debueras gremio frigentia membra fovere,
Arceres forsan frigora pigra necis.
Nulla tibi flamma est, nullus calor ossibus hæret,
Semper at astricta e frigore, nube, gelu.
Quæ tibi non solvis, solvisti huic frigore membra,
Causaque sic illi dic eris esse necis.
Luridus ut latro, mors venit ad atria Nymphæ,
Frigore debebat mors riguisse tuo.
Ne tantum patrasse nefas scelerata valeret,
Hei mihi! quo loculos ditat avara suos!
Ergo, age, solve coma, glacialia lumina quamvis
In lacrymas, glacie solve, soluta tuas.
Quid dubitas? flammæ modo si tibi deficit ardor,
Nube licet lateat, lux tibi clara nitet.
Quæ tibi nempe fuit Phœbus, *Germana*que Phœbe,
Morte etiam invita mortua, viva micat;
Lumina ut à Phœbo radiorum emissa videmus,
Ad Phœbum rursus lux tamen illa redit.
Sic lux, quam rapuit (si quam mors abstulit ullam)
Clarior ad Dominam lux redit illa suam.
Ergo, quis hoc dicat? quod lux hæc luce careret,
Lumina quæ faceret, Cynthia, lusca tibi!
Hei mihi! quid video? licet omnibus illa refulget
Lux aliis, *Butler* lumina nigra videt.
Orbis ab aurato lugetur dives ab orbe, — *Richmond, Rich World.*
Scilicet amissas luget avarus opes.
Dux, & amor Regum, tibi qui fuit aureus orbis
Hactenus, est fato decolor ille novo.
Nec veluti quondam lambens *Ormonia* rura
Auratis lymphis *Orea* fulva fluit.
Dum perdit Nympham, perdit sic illa colorem,
Ostendens luctus signa dolenda sui.
* Obitusque sui *Bircus*, qui dicitur esse,
Hic nunc antiqui nominis omen habet.
Prisca ætas nostri nimium præsaga doloris
Hæc errabundis nomina fecit aquis.
Lilia cum nuper nimium pallere viderem
Nescio, quis, dixi, non placet iste color!
Amissura suum fuerant hæc nempe decorem,
Perderet ut vitam, quæ gerit illa, suam.
Quid quod conspicerem Cythalas, insignia Regum,
Ad fontem Hesperium sponte subire necem.
Et dederant vitam, ut possent servare nitorem,
Ne locus hic maculas commaculare queat.
Quam bene conveniunt nostræ hæc animalia Nymphæ!
Dum stetit in vitæ limine, fata petit:
Et moritur, dum vix oritur, virtutibus ævum,
Annis cum nequeat, laudibus aucta suis.
Elegitque mori primævæ in flore juventæ,
Illam ne fallat vita dolosa senem.
Et moriens, hæc pauca suæ præconia stirpis
Protulit in Lydiis verba notanda tholis.
Non tumulum hic cernis, sed structa trophæa, viator,
Virtutis, virtus crede perire nequit.
Ut cunas nunquam vidit, visura sepulchrum
Sic nunquam est, soli sola coæva Deo.
Si quæ sim, dubitas, series famosa *Stuartos*
Demonstrat Reges, queis ego nata feror.
Stirpem, ortum, tumulum, *Scotus*, dedit *Anglus*, *Hibernus*,
Et peperit, cecinit, laude, decore, lyra.
Butleridum aurato quidquid quoque defuit orbi
Addideram, donis ditior ipsa meis.
Sic, aurata Cohors, per me tibi semper in auro
Ferrea dum fuerint sæcula tempus erit.
Exere jam lugubre caput, *Kilkennia*, Nymphæ,
Si nescis, tumulus, parta trophæa tibi est.
Ipsa licet tenebras subiit, tibi lumina mittet,
Quamque tulit mortem, vita futura tibi est.

* *Barrow fluv. sic Hibernicè interpretatur.*

Chronicon.

SIC, te MarIa StVart, DoLVIt Vates

Thomas Roche.